

dentiae qui quadringenta septuaginta milia annorum
 ut ipsi dicunt monumentis comprehensa continent, et
 mentiri iudicemus nec saeculorum reliquorum iudi-
 cium quod de ipsis futurum sit pertimescere. age bar- 37
 5 bari vani atque fallaces; num etiam Graiorum historia
 mentita est? quae Croeso Pythius Apollo, ut de na-
 turali divinatione dicam, quae Atheniensibus quae
 Lacedaemoniis quae Tegeatis quae Argivis quae Co-
 rinthiis responderit quis ignorat. collegit innume-
 10 rabilia oracula Chrysippus nec ullum sine locuplete
 auctore atque teste; quae quia nota tibi sunt relin-
 quo, defendo unum hoc: numquam illud oraclum Del-
 phis tam celebre et tam clarum fuisset neque tantis
 donis refertum omnium populorum atque regum, nisi
 15 omnis aetas oraclorum illorum veritatem esset ex-
 perta. 'Idem iam diu non facit.' Ut igitur nunc minore 38
 gloria est, quia minus oraculorum veritas excellit, sic
 tum nisi summa veritate in tanta gloria non fuisset.
 potest autem vis illa terrae quae mentem Pythiae di-
 20 vino adflatu concitabat evanuisse vetustate, ut quos-
 dam evanuisse et exaruisse amnes aut in alium cur-
 sum contortos et deflexos videmus. sed, ut vis, acci-
 derit, magna enim quaestio est; modo maneat id quod
 negari non potest nisi omnem historiam perverteri-
 25 mus, multis saeculis verax fuisse id oraculum.

Sed omittamus oracula, veniamus ad somnia. de 20
 quibus disputans Chrysippus multis et minutis som- 39
 niis colligendis facit idem quod Antipater ea conqui-
 rens, quae Antiphontis interpretatione explicata decla-
 30 rant illa quidem acumen interpretis, sed exemplis